

- 2 Quæ quum ita sint, muneris, quo fungor, partes diligentissime impleturus, ea rationum momenta breviter attingam atque exponam, quæ nonnullis ex Sapientissimis Consultoribus impedimento esse visa sunt, ne affirmativum redderent responsum. Hæc autem non integrum vitæ V.S.D. spatium percurram, nec primum statum morabor ad triginta ferme annos protractum, in quo Dei Famulus, licet de profitenda S. *Dominici* Regula consilium prius suscepit, Mercaturam attamen mox exercuit, Militiæque demum nomen dedit: equidem intelligo, sat esse, *Ven. Gasparum* præclara, & non obscura dedisse Sanctitatis indicia, postquam Ordinem S. *Francisci de Paula* fuit ingressus, in quo ad obitum ulque per annos plusquam quadraginta perseveravit.
- 3 Ad hoc itaque non breve temporis spatium quod spectat, perlustrantes Patres doctissimi Inquisitiones omnes tam *Ordinaria*, quam *Apostolica* auctoritate coactas, etsi illorum, qui Causæ præerant, diligentiam sollicitudinemque magnopere commendaverint; quibus factum est, ut brevi annorum curriculo præfatæ Inquisitiones fuerint absolutæ; non attamen concedere poterant, Probationes ex illis desumptas firmas adeo plenâque esse, ut nullum ambigendi locum relinquerent. Quid enim prodesse animadvertent, speciosum biscentum & ultra Testium numerum, si omnes fere auriti sunt, proindeque illi, qui in oculatorum classe recenseri revera merentur, supersunt sane pauci? Quid prodesse, ajebant, studium Inquisitiones quamcittissime conficiendi, eaque in Tabulis referendi, quæ Altissimus ad Venerabilis Viri intercessionem patrasse Miracula perhibetur, si illustria illa desunt Sanctitatis argumenta, quæ a Virtutibus rite, recteque probatis peti debent, quæque Heroem faciunt atque constituunt?
- 4 Porro nec ipsi Causæ Patroni negare unquam ausi sunt, oculatorum Testium numerum ab auritis longe superari; ajebant dumtaxat in præteritis Respons. §. 6., id mirum cuique esse non debere = quia *Ven. Dei Servus thesaurum suarum Virtutum publice non portabat in Via, nec in ore hominum ponebat; & quia quum esset Regularis custodiebat Recessum, & adeo studebat sua bona facere in abscondito, ut potius mirum esse debeat, quod inter Testes Saculares, & Regulares viginti septem inventi sint, & examinati in Processu Informativo, & triginta duo in Processu Apostolico, qui fuerunt de visu concluderentque propterea, oculatos hosce Testes plenam, perfectam, numerisque omnibus absolutam Probationem conficere, quandoquidem = in omni negotio duo, vel tres Testes sufficiunt.*
- 5 Recte id quidem. Verum veremur quammaxime, ne ab hac ipsa, quam Dei Famulus tenuit, solitaria vitæ ratione gravis exurgat difficultas demonstrandæ, illum Virtutibus omnibus præcelluisse. Et re sane vera, pependenti Benedicto XIV., serioque consideranti, curram difficillimam semper fuerit Virtutum Probatio ab iis exercitarum, qui vel ex Instituto, vel ex proposito vitam duxerunt suam, clauso Cubiculi ostio remotisque arbitris, animadvertere occurrit *Lib. I. cap. 13. num. 18.*, ideo paucos ex his Canonizatione fuisse decoratos, quia Virtutum heroicarum Probatio ex actibus exterioribus juxta morem & disciplinam Sacræ hujus Congregationis dumtaxat deducitur; qui actus plurimum fide dignorum Testium assertionibus innitantur & confirmantur. Quamquam præstantissimis Postulatoribus nunquam dabimus, præclara, quæ enarrantur, *Ven. Gasparis* facinora, a novem supra quinquaginta oculatis Testibus comprobari. Neque enim fas ipsis erit, Testes in Ordinaria Inquisitione exceptos, & demum in Apostolica de more reperiitos, quasi duplicem repræsentent perso-